60
Lane Medical Library

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICO-CRITICA DE PLICA GERMANIAE.

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

AUGUSTO AC POTENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO FRIDERICO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN LITERARUM UNIVERSITATE JENENSI

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

JURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE XVIII M. JUNII A. MDCCCXLIV

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS SCHROEDER

RUTHENUS.

JENÆ

TYPIS BRANII.

PRAEFATIO.

Quam mihi tractandam proposui materiam tribus fere abhinc saeculis artis salutaris cultores in diversissima traxisse ac male habuisse certis testatur monumentis. Nec nostra quidem, quod mireris, aetas (quamvis non omni destituta sit successu) rem ad liquidum perducere potuit et adhuc sub judice lis est. In tanta opinionum varietate, ne dicam perturbatione, quae mea virium est infantia propriam interponere sententiam ac meum calculum adjicere in animum induxi; ita tamen, ut auctores jam dilaudatos adhiberem nec omissos ab aliis negligerem. De morbi pathologia ne verbum quidem, quum in praepostera opinionum levitate ac figmentorum involucris magna ex parte versetur. Num vero res inde clarior evadat, quod proximo abhinc tempore *Beschorner* [1]) denuo plicam esse

1) *Beschorner, Der Weichselzopf. Breslau* 1843.

morbum penitus negat illamque ducere originem ex anili plebeculae superstitione affirmat; quid? quod contendere non erubuerit, illos, qui de affectu isto unquam disseruerunt, auctores aut data opera fallere voluisse aut invitos se ipsos fefellisse: id magnopere in dubium vocandum esse mihi videtur. Rebus ita se habentibus non intelligo cur plica arte excitata in medicamentorum maxime efficacium numerum non adsciscatur, quum plica excreta symptomata vitae summum periculum inferentia evanuisse legamus?! — Num fortasse quae clarissimi referunt cujusvis aetatis medici fabulis sint adnumeranda? —

Sed haec hactenus et spatium excedit mihi datum, quid veri quid falsi insit illis, quae tuetur ille, disquirere.

Nunc mihi superest, ut viris perillustribus, quorum mihi contigerunt subsidia, gratias agam quam maximas, praecipue Doctori *Haesero*, viro clarissimo deque historia nostrae artis summe merito, qui multis modis me adjuvit atque ornavit.

Index librorum, quibus usus sum.

Joann. Schenckius a Grafenberg, observatt. rar., nov., admir. et monstros. etc. Francof. 1600. 8.

Jo. Thom. Minadous, de human. corp. turpitudinibus etc. Patav. 1600. f.

Herc. Saxonia Patavini de plica, quam Poloni Gwodziec, Roxolani Koltunum vocant. Patav. 1600. 4.

Joh. Hab. de Fulstin chronicon. Basil. 1615. 8.

Michalonis Lithuani de moribus Tartarorum, Lithuanorum etc. fragmina X. Basil. 1615. 8.

Gregor. Cnapius, thesaurus Polono-Latino-Graecus. Ed. II. Cracov. 1643. f.,

Dan. Sennert, Practica Medicina. Wittebg. 1652. 4.

Guern. Rolfincius, disput. inaugur. de plica polonica. Jen. 1658. 4.

(*Davisson*), Commentarii in Petri Severini Dani ideam medicinae philosophicam etc. Hagae-Comitis. 1660. f.

Joh. Jonston, syntagma univers. medic. practicae. Jen. 1673. 8.

Miscellanea curiosa medico-physica Acad. Nat. Curiosarum s. ephemeridum medico-physicarum Germanarum etc. 1675. 4.

Raym. Jo. Fortis, consultt. etc. medicae. Genev. 1677. f.

Sebast. Cressius, diss. inaugur. de plica, Germanice: *Wichtelzopff*. Heidelbg. 1682. 4.

Joh. Abrah. a Gehema de morbo vulgo dicto Plica Polonica literulae. Hambg. 1685. 8.

de Hauteville, rélation historique de la Pologne. Par. 1687. 8.

Dr. Bern. Connor, Beschreibung des Königreichs Polen u. Grofsherzogthums Litthauen. Leipz. 1700. 8.

Onuphrius Bonfigli, tract. de plica Polonica. Vratisl. 1712. 4.

Sammlung von Natur- und Medicin-, wie auch hierher gehörigen Kunst- und Literaturgeschichten etc. Ans Licht gestellet von einigen Brefslauischen Medicis. 1719. 4.

Erndtel, Warsowia physice illustrata. Dresd. 1730. 4.

Thuanus historiarum libri 123.

Historia morborum, qui annis 1699—1702 Vratislaviae grassati sunt a colleg. acad. etc. in lucem edita. Genev. 1746. 4.

Mich. Abrah. Troca, nowy Dykcyonary to jest Polsko-niemiecko-francuski. Lips. 1764. 8.

Joh. Friedr. Cartheuser de morbis endemiis libellus. Francof. a. M. 1771. 8.

B. R. Vicat, mémoire sur la plique Polonaise. Lausanne 1775. 8.

A. C. Lorrey, Abhdlg. von den Krankheiten der Haare. Aus dem Latein. 1779. 8.

F. C. de la Fontaine, chirurg. medizin. Abhandlungen verschied. Inhalts, Polen betreffend. Leipz. 1792. 8.

Hufeland's Journal der praktischen Arzneikunde. 1799 4. *St.*, 1800 1. *St.*, 1819 1. *St.*

Just. Aug. Friedr. Schlegel, über die Ursachen des Weichselzopfs der Menschen und Thiere etc. Jena 1806. 8.

W. von Steinkühl, der Weichselzopf in Deutschland. Inauguralabhdlg. Würzburg 1817. 8.

M. J. C. Alibert, précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. Six. edit. Paris 1822. 8.

Jos. Schlesinger, diss. de trichomate. Berol. 1827. 8.

Jacob Grimm, Deutsche Mythologie. Göttg. 1830. 8.

Lessing, Geschichte der Medizin. Berl. 1838. 8.

C. Pabst, medizin. Zeitung. Leipz. 1838. 4.

Emanuel Polonsky, diss. de plica. Berol. 1838. 8.

Rust, theoret.-praktisches Handbuch der Chirurgie. Berl. 1830—36.

Encyklopädisches Wörterbuch der medizin. Wissenschaften, herausgegeben v. Busch, Dieffenbach, Hecker etc. Berl. 1828 — *ff.*

C. Chr. Schmidt, Jahrbücher der in- und ausländischen Medizin. 1840.

C. Chr. Schmidt, Encyklopädie der gesammten Medizin. Leipz. 1842.

Jos. Frank, Hautkrankheiten. Leipz. 1843. 8.

Beschorner, der Weichselzopf. Breslau 1843. 8.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41385904_0031

Qui primi et iidem Germanicam quidem descripserunt plicam, praecipue *Schenk a Grafenberg* et qui ejus scriptis usi eum sunt secuti, brevi ab illis oblivioni sunt traditi, qui e Polonia, sede morbi illius principali, aut vere aut false observata literis tradebant: inde factum, ut quae in Polonia divulgatae essent fabulae vel vulgi nostri sibi pararent fidem, praesertim quum brevi post in regionibus a Polonorum finibus remotioribus omnino fere extinctus sit hic affectus: nec mirum, quum eo loco, quo vehementissime grassaretur lues, originem etiam maxime esse petendam existumaretur. Inde ab *Schenkio* illo (a. 1600.), quem primum rei nostrae auctorem habeo, ad *Beschorner* (a. 1843.) usque in scriptis hac de re memoriae traditis permultis insipida et sibi contraria satis legimus relata: imo dum alteri morbum esse acerrimum narrant [1]), alteri eum in rerum natura existere penitus negantes plicam sive fabulam [2]) sive jam du-

---

1) *Schenk a Grafenberg*, *Starnigel*, *Herc. Saxsonia*, *Dan. Sennert*; *Schlegel*, *Jos. Frank* *p. a.*

2) *Davisson*, de plica Polonica, morbo ex superstitiosarum mulierum cerebro nato et in credulos ali-

dum esse extinctam[1]) affirmant. Ita aliter fieri nequivit, quam ut Germaniae plica magnopere negligeretur et omnino paene daretur oblivioni, quantumvis etiam postea sit exculta plicae historia.

Ut nonnulla tantum afferam ad demonstrandum, quae prioribus hujus rei auctoribus infuerit obscuritas, *Starnigelio* cum *Hercule Sassonia* videtur primum exstitisse sive quidem notam fuisse plicam „*inter Hungariam et Pocutium, provinciam regni Poloniae, quae montibus inter se distinctae sunt*"; *Gehema* Russiam morbi esse existumat matrem; *Connor*, *Vicat* aliique ab illis omnino dissidentes Lithuaniam sedem esse principalem arbitrantur; *Stabel* hancce quaerit apud Indos orientales; omissa quidem veteri opinione, quae fando tradita in innumeros medicae artis libros irrepuit, morbum a Tartaris saeculo centesimo tricesimo in Poloniam esse illatam. Recentiori tempore *Car. Weese*[2]), *A. T. Chledowsky*[3]), *Ogonzyk-Zakrzewsky*[4]) de historia plicae optime meriti sunt[5]); de plica vero Germaniae propria

---

quos medicos transplantato, tractatus in commentariis in *Petr. Severin* etc. p. 154.; *Beschorner* l. c.

1) *A. C. Lorrey* (Parisiis) *Abhdlg. v. den Krankheiten der Haare.* (*A. d. Latein.*) 1779. 2 *Bd.*

2) *Rust's Magazin.* 1828. *Bd.* 25. *S.* 328—31.

3) *Leo's Magazin für Heilk. u. NW. in Polen, Warschau* 1828. *S.* 399—401.

4) *Medizin. literär. Geschichte des Weichselzopfs. Wien.* 1830.

5) Istorum scripta mihi non in manibus fuisse doleo.

J. Rosenbaum Halae a. S. cum primum breviori scripto [1]), tum postea clarissimis literulis contra *Lessing* [2]), in quibus vel omissa medicorum auctoritate, trichomate Germaniam non caruisse argumentis fide dignissimis docet. Rationes quidem neque petiit ex farragine doctarum conjecturarum praecocibus suffultarum opinionibus pathologicis, neque ex vanis scriptorum antecedentium superstitione occaecatorum somniis, sed ex amplissimis gentis Germanicae literis ac mythis fide non carentibus ducere tentavit: nec successu destitutus est. *Jacob Grimm* mythologia sua Germanica [3]) subtilissime ac diligentissime scripta viam qua procedendum ei commonstravit. Tum documentis usus gravissimis iisque absolutissimis adversariorum argumentis subvertendis ac labefactandis par erat. Fontibus ipsis arva mea irrigare denegatum mihi erat, aeque ac *Rosenbaumio*, nec id multum ad rem, si quid video.

Ut jam ad institutum nostrum transeamus, non ineptum esse arbitror, hoc loco Germanici nominis morbi, de quo tractandum erit, mentionem facere, quum id ipsum non minimi in re nostra illustranda factum sit momenti. Nam nostris adhuc temporibus permultos adhuc esse pro certo habeo, qui quum enchiridia pathologica, quae inprimis in usu sunt, rem istam non tangant, in au-

---

1) *Dr. C. Pabst's medizin. Zeitg. Leipz.* 1838.

2) *Schmidt's Jahrbücher der in- und ausländischen Medizin.* 1840. *Bd.* 15. *S.* 291.

3) *Jacob Grimm, Deutsche Mythologie. Göttg.* 1836.

dienda voce „*Weichselzopf*“ fluvii notissimi Polonici recordentur. Re vera autem vocabulum illud „*Weichsel*“ nihil est, nisi corruptum ex veteri „*Wichtel*“, quod speciem permagni generis daemonum sive geniorum, quorum in fabulis nostris summa continetur copia, significat. Magna vocabulorum, quae eamdem morbosam capillorum implicationem notant, vis, paucissimis exceptis recentioribus hac ex opinione exorta est, spectro nocturno (*Alp= Mahr)* idcirco effectu daemonico vel vires humanas excedente arcanam illam et repente ingruentem capillorum conglutinationem effici. Rem hancce accuratius explicatam ejusque argumenta vide apud *Grimm* l. c. ac breviora apud *Schmidt* [1]).

Jam vero ipsas medicae artis literas perscrutaturus non possum, quin aeque atque illi, qui mihi hoc studio antecesserunt, *Schenkii a Grafenberg* faciam mentionem, primi nostri medici, qui plicam in patria nostra inveniri ibique degentibus esse notissimam profitetur.

Relatis praecipuis mali istius signis [2]) „capillitium“, addit, „apud *nostros* [3]) haud infrequens, caeterum *veteribus cujuscunque aetatis medicis incognitum*“... Tum pergit: „*Europaeis aliis* innotuisse hoc capillorum vitium nondum comperi,

---

1) *Jahrbücher l. c.*

2) *Schenk a Grafenberg* observat. rar. nov., admir. et monstros. etc. Francof. 1600. Lib. I. obs. XIII. p. 17.

3) Friburgi in Brisgoia, ubi degebat.

ut nec plerisque Germaniae partibus, Brisgois, Alsatis, Belgis, nonnullisque Rheni tractibus *quasi endemium*, ut *popello nostro notum est satis*. Cives hic ipse novimus supra XXX, quorum aliqui vel hodie quoque supersunt, hoc capillitio insignes."

Praeterea *Drs. Stadleri* addit observationem [1]), qui vidit a. 1564. in viro nobilissimo, *Caspar a Hornstein*, plicam barbae; quod cur in dubio sit ponendum, non video.

Qui eum et ad tempus et ad auctoritatem sequitur, *Hercules Sassonia* est, professor Patavinus. Notissimum quidem est a. 1599. complures Polonos, e nobili gente ortos, plica laborantes Patavium esse profectos, instructos epistola *Starnigelii*, rectoris urbis Polonicae *Zamosc*, qua medicorum ordini Patavinorum commendentur simulque ex illa quaeritur, ut in veram hujus morbi naturam inquirerent [2]). Cui respondit *Jo. Thomas Minadous* in libello [3]) et morbum esse novum ac Polonis epidemicum contendit. Eodem anno *Hercules Sassonia* opus copiosius scriptum eadem de

---

1) Totam observationem *Schenkii* v. l. c., nec minus apud auctorem sequentem et apud *Sennert* l. c.

2) Epistolam, in qua praecipua plicae enarrantur symptomata eamque morbum esse novum, qui magis magisque divulgatus simul viribus auctus sit, vid. apud *Herc. Sassoniam* et apud *Sennert* l. c.

3) De morbo cirrorum v. Helotide, quae Polonis Gwozdziec, consult. ad ill. etc. Pat. 1600.

re foras edidit [1]). Is respectu in plicae historiam habito ad nostrum institutum non minimum affert momentum. Antequam *Starnigelii* refert literas: „Dicturo mihi," inquit, „de affectu novo... nunc primum per universam fere Poloniam grassante, imo vero per quasdam Germaniae partes divagante."

Quo dicto literisque illis relatis ita p. 8. pergit: „Affectum istum, qui in Polonia usque adeo novus existimatur ac proprius, novum non esse aut illis peculiarem, constanter affirmo. Qui illum in Helvetia, Alsatia, Brisgoia nonnullisque partibus ad Rhenum degentibus *frequenter et in multis grassari*, *in reliquis vero Germaniae* atque Hungariae partibus aliquando tametsi rarius et in paucis conspici; jam *multiplici Germanorum testimonio*, nunc Patavii studiorum gratia degentium consecutus sum mihique omnium maxime confirmatum a perillustri et nobilissimo *D. D. Andrea Narusszewic de Kupiszki* Nationum Poloniae consiliario meritissimo, teste alioquin hujus rei fidelissimo, summa cum sua admiratione, affectionem hanc Poloniae propriam existimatam apud Helvetios atque alias praedictas nationes non semel contemplante. Quibus omnibus... accedit *Joan. Georg. Schenckii a Grafenberg* testimonium... etc."

Tum p. X: „Hoc quidem„, addit, „scio in majori Polonia nunc primum tantum mali semina pululasse. In Podolia vero non ultra annos viginti:

---

1) De plica, quam Poloni Gwoździec, Roxolani Koltunum vocant, liber. Patav. 1600. 4.

In Pocutio autem multo quidem antea, sed incerto tempore, cum tamen de Germania indubie affirmare possim, anno 1564. usque adeo notum fuisse, ut jam antiquior existimaretur. Id autem colligo ex *Joann. Stadleri* Med. observatione, quae in hunc modum se habet."

Locus modo laudatus exploratae fidei testimonium perhibet nec eget ampliori interpretatione; jam septimo decennio decimi sexti saeculi affectum istum Germanis fuisse notissimum inde elucet.

Dan. Sennert [1]) morbum ipsum observasse non videtur, attamen unde nomen nostrum „*Wichtelzopf*" sit ductum docere conatur (*Wichteln* = infantes non baptizati), quod, cur falsum sit, vide *Grimm* (*Mythologie l. c.*). Dum vero plicam *Sapiehae*, comitis Lithuani, memoriae prodit, Germanum Patavii literarum causa esse versatum narrat, cui morbus non fuerit incognitus.

Sennertum de plica disserentem excepit *Guern. Rolfink*, cui quidem in disputatione inaugurali *Christ. Ern. Taubii* (Jen. 1658.) nomen nostrum „*Weichselzopf*" nondum innotuisse videtur: aeque ac *Schenk* falsa utitur partim etymologia in explicandis nostris vocibus „*Mahrenzöpfe*, *Schrötlingszöpfe*", „quod a nocturno spectro (apud *Schenkium* Fauni) capillos sugente vel ab incubo connecti censeantur." Pag. 4. et 5. quidem Polonis endemium primum fuisse contendit, „nunc in

---

1) Practica Medicina. Wittbg. 1652. Lib. V. Part. III. Sect. II. Cap. IX.

pluribus“, vero pergit, „Germaniae locis, Helvetia, Alsatia, Brisgoia, ut ostendit observatio *Schenkii* XIII. de tricis incuborum, observatur adeo, ut *Epidemii* titulus ipsi in Saxonia adsignetur. Observantur in nostris oris [1]) interdum, qui impexos capillos dorsotenus sub thorace abscondunt et intricatam barbam sub pectorali recondunt.“

Haud omnino, quae sequuntur, cum supra dictis consentire videntur, inquiens:

„Novus morbus dici non potest ἁπλῶς a *centum annis et ultra* est notus non solum in Polonia, sed *etiam in Germania.*“

Attamen ex his a viro de arte medica meritissimo ac fide dignissimo memoriae traditis morbum istum jam circa medium decimum sextum saeculum patriam nostram vexasse plane elucet: nec magis quam apud auctores supra laudatos trichoma a Tartaris Poloniae oras ingruisse aut e Polonia in Germaniam esse progressam apud eum ulla fit mentio.

Quod vero, ne circuitione et persequendo longior sim, apud *Lessingium* [2]) legas quaeso, qui copiosius de materia illa, quae omni eget ratione, disseruit, a Tartaris scilicet in Poloniam invadentibus (a. 1279., 1287. etc.) aquas veneno esse

---

1) Utrum in oris Salae, ubi degebat, an Hamburgi, unde erat ortus *Rolfink?* de eo infra disserendum erit.

2) *Geschichte der Medicin. Berl.* 1838. *Bd. I. S.* 439.

imbutas, ac multos ea in re *Pastorii* [1]) scrinia compilasse testatus est.

Qua quidem opinione vera recepta non aliter fieri potuit, quin morbus, quum in Germania postea aut evanesceret aut rarior tamen inveniretur, in patriam nostram e Polonia esse propagatus existumaretur.

Simon Schultz, med. phys. Thorunii [2]) p. 190. narrat: „Dictus est hic morbus... Plica Polonica, quod Polonis et inprimis eis, qui inter Hungariam et Pocutium habitant, Russis et his finitimis (quamvis nostris temporibus totam Poloniam pervagatus usque ad nos Prussos pervenerit) hinc licet primo ortu epidemius fuerit, jam endemius factus sit.“

Pag. 198. complura laudat Thorunii exempla: *Jacobum Sachsium*, scabinum suburbanum, viduam cum filio, „pluresque alios.“

Sebast. Cressius [3]), qui morbum insuper cirrorum implicationem, tricas cirrorum vocat, juste antiqua nomina Germanica: „*Mahrenflechte*, *Mahrenwirkung*, *Mahrenlocken*“ *etc.* refert, atque eo, quod „*Wichtel-*, *Weichsel-*, *Wixelzöpfe*“ inter se conjungit, vocem „*Weichsel*“ non nisi corruptum esse docet. „Morbus,“ addit, „censetur

---

1) *J. Pastorius ab Hirtemberg*, Florus Polonicus. Lugd. Batav. 1642.

2) Miscellanea curiosa medico-physica Acad. Natur. Curioss. etc. Ann. VI. obs. CXXXVIII. 1675.

3) Dissert. inaug. d. plica Germanice: *Wichtelzopf*. Heidelbg. 1682.

veteribus incognitus vel saltem non descriptus, sed novus et populis quibusdam fere endemius, ut Polonis, Russis...., Germanis quoque non ignotus, Brisgois enim, Alsatis nonnullisque Rheni tractibus non infrequentem esse" (testibus *Schenk a G.* et *Melch. Sebiz)* confirmat. — Pag. 9: „Apud Polonos", ait, multo atrocior est quam in aliis quibusdam regionibus ut Alsatia...: in his enim innotuit plica: sed indolens fere et periculo carens. Nam a multis sine incommodo ad ultimum usque vitae halitum gestatur vid. *Melch. Sebiz.*"— Pag. 10. in describendis praecipuis morbi signis denuo: „Apud nos", dicit, „Plica longe mitior plerumque est, quam in oris Sarmaticis."

Jo. Abr. Gehema, Sobiesky regis archiater, qui anno insequenti (1683.) eadem disseruit de re [1]) teste *Pastorio* atque inde, quod affectus in provinciis a Russiae finibus remotioribus rarius inveniatur (?), apud Russos primum exarsisse contendit nec non plicam apud Germanos esse indigenam ignorat.

Drs. Bern. Connoris (qui Johannis III. regis Polonorum fuerat archiater) testimonio [2]) Tartari omnino trichomate carent, quid? quod plicam inde duxisse originem addubitet.

1) De morbo vulgo dicto Plica Polonica literulae Hambg. 1683.

2) *Beschreibung des Königreichs Polen und Grofsherzogthums Litthauen. Leipzig* 1700. *S.* 792.

Honuphrius Bonfigli [1]) *Schenkium a G.* sequitur ducem [2]).

In *collectaneis medicorum Vratislavensium scriptis* [3]) trichoma a. 1599. in Polonia comparuisse et a. 1564. ita notum fuisse in Germania, ut jam majorum aetate innotuerit, duce *Thuano* [4]) refertur: manifestum tamen est, *Starnigelium* in epistola et *Schenkium* in observationibns ansam illis praebuisse, quod res et verba satis docent.

Ad *Stabelium*, qui a. 1724. dissertationem

---

1) Tractatus de plica Polonica. Vratisl. 1712.

2) Data nunc oportunitate, non possum quin de re, unde ad plicae historiam illustrandam non minimam accessionem fieri arbitror, faciam mentionem. Ille quidem Bonfigli in prima libelli sui pagina: „Nec equidem," inquit „sua plica caret Neapolis, ubi plures speciatim e foeminarum plebe dignovi, tricam sponte capiti exortam caute tuentes impexam, utpote felicitatis indicium superstitiose reputatam et quae fabuloso commento „la Treccia della fata" vulgariter ab illis appellatur. — Relatis nonnullis exemplis: „Et quis negabit," inquit, „implexum crinium per totam Italiam non raro ex jubis equorum pendentem („il Folletto" communiter dictum) clarissime praebere argumenta judicandi, praedictum morbum sese latius extendere, quam pateat, ac pullulare saepius quam permittatur excrescere." — Idemque infra: „equos resectis plicosis jubis segnitie, gravi anhelitu, pedum tumore aut coecitate laborare" narrat.

3) *Sammlung von Natur- und Medicin- etc. Geschichten. Ans Licht gestellet von einigen Breſslauischen Medicis. Sommerquartal* 1718. 1719. *S.* 1756.

4) *Thuanus* histor. libri 123.

in publicum edidit de plica, in illo revertar loco, quo infra de *Vicat* sermo erit.

Erndtel [1]) optime quidem, quid nomen sit justum, novit, false autem, unde sit ductum, his verbis memorat: „per male intellectam vocem „*Wicht*“, quod apud Hungaros, fortassis etiam in Slavonica lingua, luem quamcunque, praesertim quae cum Plica quadam conjuncta esse solet, significat, dum „*Wicht*“ in „*Weik*“ et „*Weixel*“ torserunt, factum est. Polonis enim haec de Vistula ducta etymologia est incognita.“

Error iste, plicam Polonis tantum nec alteri populo esse propriam, exeunte fere saeculo decimo septimo atque ineunte decimo octavo pervagatus et quasi proseminatus esse videtur: cujus rationes has esse arbitror, quod illo ipso tempore plica in Germania aut rarior sit inventus aut evanescere coeperit, dum in Polonia magis magisque increverit; item quod vocis nostra „*Weichselzopf*“ etymologia ex memoria abiente ipse quidem fallax nominis sonus foverit errore captis. Nec scriptores quidam id refutare ac subvertere conantes, ecce *Jo. Fred. Cartheuser* [2]), assequi potuerunt, ut vocem illam, quae rei auxit difficultatem removerint. Ille quidem in libello suo: „Trichoma“, inquit, „quod... Germani *Mahrenflechte*, *Marenlock*, *Wirblock*... immo citra ullam tamen allegatae rationis veritatem *Weichselzopf* appellant.“

---

1) Warsowia physice illustrata. Dresd. 1730.

2) De morbis endemiis libellus. Francft. a. M. 1771.

Ita fieri non potuit, quin accolae inprimis Polonorum luem illam, quum interdum vexaret Germanos, tanquam bestiam ex antro erumpentem considerarent: nec mirum, quum eam sive ipso aspectu sive fama talem cognitam haberent, quae post hominum memoriam in Polonia saeviret ac literarum artis medicae Germanarum inscii inter nostrates rarius tantum conspici morbum observarent. Quam opinionem, e finibus Poloniae affectum esse progressum etiam illi et materiam medicam et universam historiam tractantes haud minus divulgarunt, qui morbi originem non e venenatis a Tartaris aquis trahentes (quin imo, ut *de Hauteville*[1]) refert, in aquam illi immiserint „*cœurs d'hommes empoisonnés*"), tamen eum a barbarorum illorum cohortibus esse importatum et antea epidemicum postea endemicum esse factum arbitrarentur. Sed scriptores, qui longiore temporis spatio huic *Joach. Pastorio*, primo illius rei, uti scimus, antecesserunt auctori, nullo omnino loco in describendis atque amplius narrandis Tartarorum irruptionibus morbi habent mentionem, qui plicae similis tum exortus sit; *Jo. Herb. de Fulstin*[2]) quidem, regni Polonici senator, pestem quamdam tunc apparuisse non negat, nec tamen quid compertum habet de plica. *Michalo Lithuanus*[3]) Tartarorum laudibus cele-

---

1) *Relation historique de la Pologne. Paris* 1687. *p.* 261.

2) *J. H. de Fulstin*, chronicon. Basil. 1615.

3) De moribus (nec „de morbis" uti Jos. Frank

brat robur ac vigorem, quod in natione sub divo totam paene vitam degente non videtur mirum, nec minus eorum sobrietatem collaudat et continentiam: at Lithuanis, quod luxuriose viverent et in bibendis potibus spirituosis excederent modum, vitio vertit. Inde quae sequantur neminem fugient.

Vicat [1]), qui ducem sequitur in historia *Stabelium*, quavis quidem de causa ex Indis orientalibus natam esse plicam contendit, unde ad Tartaros et Cosacos absque illis in Poloniam terrasque pervenerit vicinas (Pag. 9 „*et que de là elle est passée en Pologne, en Silesie, en Hongrie et dans d'autres pays voisins*"). Attamen opinio non prorsus a vero abhorrere ipsi videtur, morbum illum a Polonis turpem existumatum ea ratione ab eorum scriptoribus in Indos ac Tartaros inque terras longinquas et tempora remota esse translatum, ne quis disquisita accuratius origine afficeret macula quadam Polonos. Cui quidem opinioni, num veri quid insit, jure omittamus. Ceterum morbo Polonos gravius decumbere, Lithuanos contra saepius infestari narrat.

Just. Aug. Fred. Schlegel in libro ea inprimis de re memoratu dignissimo [2]), quod primam

---

false laudat ejus librum) Tartarorum, Lithuanorum etc. fragmina X. Basil. 1615.

1) *Mémoire sur la plique Polonaise par Mr. B. R. Vicat. D. M. Lausanne* 1775.

2) *Ueber die Ursachen des Weichselzopfs der Menschen und Thiere etc. Jena* 1806.

plicae causam manifestam se fecisse opinatur (trichoma quidem e capillorum tonsura circa a. 1041. a Casimir rege Polonis mandata esse progenitum, in qua quidem re argumentanda documenta ipsi tantum luculenta attulisse ratus est), plicam veram grassari contendit in solis Poloniae finibus, quum ibidem illa, quam supra memoravimus, tonsura sit in usu. Quae observavit *Schenk* cum sua ipsius opinione consentire putat in eo, quod et illius aevo et priori propter res publicas, ut Mongolorum in Poloniam a. 1176. facto impetu, multi Poloni apud exteros versari fuissent coacti.

Vocabulorum antiquorum „*Mahrenflechte, Mahrenlocke*" quam apud eum legimus etymologia jocosa fere mihi videtur, quum l. c. p. 81. inde putet esse ducenda, quod Bohemi ac Moravii Polonorum hostes, quos nunquam tamen superare potuissent, a Polonis veneficiorum ac cantionum gnari et auctores plicae existumati essent (?). Nomen illud „*Bichtelzopf*" a „*Pichel, Haarpichel*" (i. e. capilli pice tanquam conglutinati ac concreti) esse ductum a vero proxime abesse ei videtur.

Guil. de Steinkuehl in dissertatione [1]) singulum tantum nostri morbi casum describit, qui sparsim in Germania sit exortus, nihilominus, nisi verba et pictura fallunt, excellentissimum: qua quidem re et illa, quam *Schlegel* defendit, opinio optime refutatur. Ceterum quae libello hocce sunt contenta

1) *Wilhelm v. Steinkühl. Der Weichselzopf in Deutschland. Würzb.* 1817.

indici (*der Weichselzopf in Deutschland*) neutiquam respondent, quum historiam obiter tantum ac desultorie attingat.

M. J. Alibert[1]) etiam Germanicae plicae facit mentionem, at relata ex *Schenkii a G.* observationibus esse hausta ipsius verba docere mihi videntur. Et extra Europae fines, *Roderico a Forseca* teste, in Hispania nova trichomati simile quid invenire opinatur. Attamen non sicco pede praetereundum ab *Aliberto*, auctore *Ducangio* in vita St. Ladislavii, multo antiquiorem, quam a plurimis, quos supra memoravi, scriptoribus haberi plicam; sed immerito, quum quae illic narrantur, ut *Lessing* l. c. docet, decimo sexto tantum saeculo exstitisse plicam testentur.

Apud *Rust*[2]) et in *lexico encyclopaedico doctrinarum medicarum*[3]) recognitis, qui huc pertinent, fontibus plicae fit mentio Germanicae eamque septimo decimi sexti saeculi decennio Germanis non fuisse incognitam memoriae traditur. Accuratius hacce de re *Rosenbaum*, de quo supra fuit sermo, disseruit apud *Schmidt*[4]), dum eo loco istorum, quae ipsi placuerunt, prodit summam.

---

1) *Précis theorique et pratique sur les maladies de la peau. Six. Edit. Tom. I. p.* 93. *Paris* 1822.

2) *Theoretisch-praktisches Handb. der Chirurgie. Bd.* 13. *Art.* Plica.

3) *Encyclopädisches Wörterb. der medic. Wissenschaften etc. Bd.* 27. *Art.* Plica.

4) *Encyclopädie der gesammten Medicin. Bd.* 17. *Art. Wichtelzopf.*

Trichoma si non priori tamen uno eodem tempore, quo in Polonia apparuerit, et in Germania fuisse contendit et in utraque terra divulgatam fuisse opinionem, effectum id esse malignorum vi geniorum, antiquioribus docet nominibus. Num vero, quod ei placet, in ipsis Cretinis „*mit ihren dicken Köpfen und Hälsen, dünnen, kurzen Gliedmaſsen, zum Überfluſs mit der* Plica longicanda *versehen*" geniorum et pumilorum origo quaerenda atque ita variarum illarum fabularum ortus in morbo odiosissimo ac turpissimo sit ponendus, id merito sane in dubium vocare velim: praesertim quum eo tantummodo originem ducere autumet, quod plica attactu ulterius serpere contendat; quae quidem hactenus luculenta indigere videantur argumentatione.

Laudatis nunc atque illustratis tot tamque variis fontibus et magna ex parte inter se discrepantibus quam equidem foveo sententiam in medium afferam.

Trichomatis originem, qua in re *Rosenbaumii* sententiae accedo, densissima superiorum saeculorum caligine oppressam ac sepultam jacere arbitror et morbum quum quod ex improviso exoriatur tum quod hominum deformet ac dedecoret speciem geniorum effectui sive magorum et maleficarum viribus tributum esse credo. Quam rem a vero non abhorrere plurima eaque antiquissima, quae apud diversos invenimus populos, morbi docent nomina, quum haec fere omnia (paucis exceptis recentioribus mali formam externam indicantibus) daemoni-

cum plicae ortum spectent: uti Danorum vox „Marelok", Suecorum „Martofva", Polonorum „Wieszczyca" [1]), Anglorum „elflocks" [2]) (alias plures legas apud *Schmidt* [*Encyklopädie* l. c.]): praeprimis autem patria lingua denominationibus abundat. Compluribus fabularum imaginibus („*Frau Holle, Wichtel, Schrötlein*" et nomina inde ducta: „*Hollenzopf, Schrötleinszopf, Sellentost, Haarschrötl, Gütgenszopf, Wichtelzopf*"), sed prae ceteris incubo (*Nachtmahr, Nachtalp*) cum variis suis nominibus „*Bilwiz, Drut*" etc. crinium implexus culpae datur (*Alpzopf, Drutenzopf, Alpkladde, Mahrenflechte, Mahrenwirkung, Mahrenlocke, Elfenkladde, Bilwizzopf* etc.). Profecto qui tali rerum copia morbum Germaniae

---

1) *Wieszczyka* = spectrum nocturnum mulieris forma; w. g. splotla (vulg.) = larva crines in plicam connexit (cfr. *Mich. Abr. Troca, nowy Dykcyonary* etc.; *Cnapius*, thesaur. Polono-Latino-Graecus. Ed. II. Cracov. 1643.

2) Loco a *Grimmio* in mythologia (p. 263) ex *Shakespeario* laudato („*elf all my hair in knots*") alterum addo, quo poetae illi excellentissimo morbum nostrum fuisse notissimum satis fit perspicuum. In tragoedia „*Romeo and Juliet*" (act. 1. scen. 3.) ait:

„———— *This is that very Mab,*
„*That plats the manes of horses in the night;*
„*And bakes the elf-locks in foul sluttish hairs.*"
(„———— *Eben diese Mab*
„*Verwirrt der Pferde Mähnen in der Nacht*
„*Und flicht in strupp'ges Haar die Weichselzöpfe.*"
Schlegels Uebersetzung.)

foetum esse contendunt, penitus a vero aberrare non videntur; eam saltem in patria nostra antiquissimis jam temporibus habuisse sedem, nemo in dubium vocabit. Unde enim, rogo, apud majores nostros innumerorum haecce nominum vis ad designandam, quae fando tantum compertam habuissent, rem, nisi inde factum esset, quod trichoma in diversis patriae nostrae vagatus sit regionibus?

Et artis medicae peritos ipsis his opinionibus non eguisse superstitiosis, multi eorum librorum docent loci; in vulgus vero ad nostra usque tempora hac de re innumeras esse sparsas fabulas, nemo nescit. Ut unius tantum medici faciam mentionem, *Herc. Sassonia* in toto capite (l. c. cap. 45. p. 159.) de magico in illum morbum disseruit effectu, idque tempore, quo res jam prius ad medicos delata erat: anno vero 1746. in „historia morborum, qui... Vratislaviae grassati sunt“ [1]): „Profecto“, legimus, „multi inter Polonos, etiam non superstitiosi, impietatem Roxolanicarum mulierum hic suspectam habent.“

Item qui hac de re proxime abhinc tempore ac nostris diebus disseruerunt scriptores id inprimis conquesti sunt, plebeculam pro numero ac conditione sua huicce malo maxime obnoxiam medicorum auxilio repudiato ex vetularum cantionibus ac sacerdotum benedictionibus quaerere praesidia (cfr. *la*

---

1) Historia morborum, qui annis 1699—1702 Vratislaviae grassati sunt; a collegio acad. etc. in lucem edita Genev. 1746.

Fontaine[1]) p. 48., *Polonsky dissert. de plica*[2]) p. 8.); quid? quod *Beschorner* (l. c.) a. 1843. clericos, qui in sanando morbo famam summam consecuti fuerint, nominatim recenseat!

Ita evenit, ut sub finem demum decimi sexti saeculi hunc morbum tractandi artis peritis data sit copia, quum fortasse et medici, quibus innotuerat plica, temporum suorum occupati superstitione, extra artis medicae limites esse positam opinati sint. Num fere etiam circa illud ipsum tempus affectus ille ingravuerit sive latius vagatus sit, et temporum constitutione favente dirius saeverit in populos; at argumenta lucida ac perspicua deesse arbitror, nisi huc sint referenda allata ab *Herc. Sassonia* (l. c. p. 94.), inde ab anno 1528. usque ad ipsius dies „vagatas esse constitutiones humidas et ex consequenti morbos, qui nihil aliud praeter humiditatem spirare videntur."

Recognitis quidem, quae nostri referunt auctores, dubitari nequit, quin littora Rheni, Alsatia, Brisgoia, Saxonia et Borussia, inprimis occidentalis non caruerint plica et *Rolfink* utrum Salae an maris Germanici dicat oras (quamquam prius inde fit verisimilius, quod [l. c. p. 4. et 8.] plicam in Saxonia epidemicam esse existumatum affirmat), utroque tamen ad rem, quam docere conati sumus, uti possumus argumento.

---

1) *F. L. de la Fontaine, chirurgisch-medicinische Abhandlungen verschiedenen Inhalts, Polen betreffend. Leipzig* 1792.

2) Berolini 1838.

Item *Mich. Lüttke* [1]) *in dissertatione* a. 1724 scripta Jenae se vidisse sectionem narrat factam in foemina, quae plica affecta nunquam tamen Poloniae fines attigerit aliaque plicae exempla in foeminis quidem in illo oppido degentibus observata afferre se posse idem profitetur.

Exeunte vero saeculo decimo septimo ac decimo octavo adeo ineunte trichoma Vratislaviae in morborum vulgarium esse relatum numerum satis demonstrat „historia morborum" etc. supra laudata. Tum vero, qui plicam sui temporis memoriae tradiderunt, rariores tantum Germanici inveniuntur scriptores ac singula modo illius morbi exempla passim videmus adnotata. Quorum unus, *Jonston* [2]) coriarium „cincinno" laborantem in Silesiorum fuisse vico narrat, in quo hic effectus adhuc nondum innotuerat; posterius clarissimus *Hufeland* [3]) singulas literis tradidit plicas; nec non *de Steinkuehl* (l. c.) exemplum collaudat, quod ad rationes pathologicas summi mihi esse videtur momenti. Etiam quae *Dr. Vogler*, medicus practicus in oppido Hessen in Brunswigia, in „*Hufelands Journal*" de Saxonum inferiorum refert „*Sellentost*" [4]) non minimam vim mihi habere videtur ad plicae histo-

---

1) De plica dissertatio. Erford. 1794.

2) *Joh. Johnston*, syntagma univers. med. pract. Jen. 1673.

3) *Hufelands Journal der practischen Heilkunde.* 1799. 4. *St. etc. a. q. p.*

4) *Hufelands Journal*, 1800. 1. *St.*

riam, dum istam trichomatis describit speciem mitiorem, ortam fortassis solo capillorum cultu neglecto et apud *Rust* (l. c.) sub voce „Plica vulgaris“ tractatam.

Nostris diebus raro tantum plicam in Germania invenias eaque solum indigenas regionum Polonis finitimarum, quibus idem est coelum, passum vexari existumo: utrum vero epidemicae an endemicae fuerint causae, quibus in patria nostra sit extincta, jure meritoque in medio relinquamus, quum nobis quidem, quibus doceamus, desint argumenta.

THESES.

I.

Sine luce vita nulla.

II.

Hydrophobia nihil est nisi natura canina in corpus humanum transplantata.

III.

Nullus somnus sine somnio.

IV.

Anatomicum pathologicum optimum pessimum habeo medicum.

V.

Oculum animi esse speculum, non verum.

VI.

Ex vulnere convulsio perniciosa.